



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Imitatione Christi**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiae, 1607**

Item: Oratio contra cogitationes malas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](#)

cere voluntatem, quam tuam. Elige <sup>1.</sup> Cor. semper minus, quam plus habere. <sup>10.</sup> <sub>Luc. 14.</sub> Quare semper inferiorem locum, & omnibus subesse. Opta semper & ora, <sup>6.</sup> Matt. ut voluntas Dei integrè in te fiat. Ecce talis homo, ingreditur fines pacis & quietis.

2 \* Domine, sermo tuus iste breuis, seruus. multum in se continet perfectionis. <sup>5.</sup> Matt. Parvus est dictu, sed plenus sensu, & vber in fructu. Nam si posset à me fideliter custodiri, non deberet tam facilis in me turbatio oriri. Nam quotiens me impacatum sentio & grauatum, ab hac doctrina me recessisse inuenio. Sed tu, qui omnia potes, & animæ profectum semper diligis, adauge maiorem gratiam: ut possim tuum completere sermonem, & meam perficere salutem.

*Orationes, contra cogitationes malas.*

3 D Omine \* Deus meus, ne elon- Seruus.  
geris à me: Deus meus in auxi- <sup>70</sup> Psal. 70  
lium meum respice: quoniam insurre-  
xerunt in me variæ cogitationes, &  
timores magni, affligentes animam  
meam. Quomodo pertransibo illæsus?

H 4 Quo-

**Domi-** Quomodo perfringam eas ? † Ego, in-  
**nus.** quis, ante te ibo, & gloriosos terræ hu-  
**Esa.45.** miliabo . Aperiam ianuas carceris , &  
**Seruus.** arcana secretorum reuelabo tibi . \* Fac  
 Domine , vt loqueris : & fugiant à fa-  
 cie tua , omnes iniquæ cogitationes .  
**Hæc spes** , & vnica consolatio mea , ad  
 te in omni tribulatione confugere , tibi  
 cōfidere , te ex intimo inuocare , & pa-  
 tienter cōsolationem tuam exspectare .

*Oratio , pro illuminatione mentis .*

**Seruus.** 4 **C**larifica \* me, bone Iesu, clari-  
 tate interni luminis : & educ de  
 habitaculo cordis mei , tenebras vni-  
 ueras . Cohibe euagationes multas , &  
 vim facientes elide tentationes . Pugnā  
 fortiter pro me , & expugna malas be-  
 stias , concupiscētias dico illecebrosas:  
 vt fiat pax in virtute tua , & abundan-  
 tia laudis tuæ , resonet in aula sancta ,  
**Matt.8.** hoc est , in conscientia pura . Impera  
 ventis & tempestatibus : dic mari ,  
 quiesce : & Aquiloni , ne flaueris , &  
 erit tranquillitas magna .

**Psal.42** 5 Emitte lucem tuam & veritatem ,  
 vt luceant super terram: quia terra sum  
 inanis & vacua , donec illumines me .  
**Effus-**